



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 61. Decretum adversus schismata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

fine illius immediate sequentis Concilii in se- Sæcul. XV.
ptennium, & deinceps de decennio in decen- A.C. 1417.
nium perpetuo celebrentur in locis, quæ sum-
mus Pontifex ante finem cujuslibet Concilii,
approbante & consentiente Concilio, assigna-
bit. Si vero casus obsidionis, guerrarum,
pestis, aut similis occurreret, tunc liceat sum-
mo Pontifici de Cardinalium consensu alium
locum subrogare, terminum quoque abbrevia-
re, sed nullatenus prorogare, quam
tamen loci mutationem vel termini abbrevia-
tionem per annum ante præfixum terminum
indicare teneatur.

§. LXI.

Decretum adversus Schismata.

Secundum Decretum respiciebat schis- Ibid. p. 239.
 matum tempora, & pro tali casu sta-
 tuit: Quod a die, qua duo vel plures Pon-
 tificatum publice assumpserint, intelligatur
 terminus Concilii ad annum proximum abbreviatus, & sint omnes de Papatu contendentes, postquam ipsum Concilium inceptum fuerit, ipso jure ab Administratione suspensi
 ad quod Concilium Imperator Reges, & Principes vel personaliter, vel per solemnes nuntios concurrant. Insuper decernit, quod in fine cujuslibet Concilii, & quandocunque Romani Pontificis electio imminet facienda ante ingressum conclavis hoc decretum legatur.